



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. V. De qualitate assensus conclusionis Theologicæ, & habitus circa
ipsam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Non pendet
ex assensu
supernatu-
rali princi-
piorum.

24.
Assensus
Theologicus
in fidei &
heretico idē.

bitum, & actū Theologiæ circa plures conclusio-
nes: signum ergo est, assensum conclusionis non
generari ex assensu supernaturali articulo-
rum. Alioquin, sicut in heretico, qui solum negat vñ
articulum, non manet assensus ex lumine infuso
circa aliquem alium, vt dicemus 2.2. q. 5. art. 5. sic
etiam non maneret assensus vere Theologicus vl-
lius conclusionis idem cum eo, quem habebat, cū
esset fidelis; Quia quoties variatur assensus pñ
cipiorum, vel alius principij in syllogismo ali-
quo, necesse est mutari assensum conclusionis, qui
ex illo principio generatur: influit enim assensus
principiorum in conclusiones.

Immerito autem nonnulli Thomistæ conce-
dunt assensum Theologicum in heretico esse al-
terius rationis, quam erit in ipso, cum esset fide-
lis. Quis enim percipere valeat differentiam il-
lam in modo assentiendi? Cur ergo debemus
absque fundamento eam asserere? Quod si con-
cedimus diuersum assensum articulo-
rum fidei ex lumine supernaturali, & ex signis, aut ex humana
auctoritate proferentem, ideo est, quia posito
habitu supernaturali fidei, necesse est ponere
propriū assensum illius, qui innitatur testimo-
nio primæ veritatis, distinctum ab assensu ex
miraculis, vel ex humana auctoritate, aut alio
modo per rationem deducto, vt 2. 2.2. quæstio. 1.
artic. 1. ostendimus. Denique quocunque mo-
do dicamus generari assensum conclusionū The-
ologicarum, cum ille non attingat euidentiā, quæ
a philosophis ponitur esse de ratione sciētiæ, non
poterit scientia propriè nuncupari, sed latiori dū-
taxat significatione, quatenus scientia dici potest
quævis cognitio, quouis modo acquisita, præfer-
tim si sit de reb. necessariis, & absque vlla formidi-
dine. De habitu autem Theologiæ eadem pro-
portionem philosophandum est: naturæ enim habi-
tus ex actibus dignosci debet.

CAPVT IX.

Respondetur argumentis aduersariorum.

25.
Theologia
quo sensu
scientia à
Patribus di-
citur.

I Am verò ad argumenta tertiæ scientiæ, quæ so-
lum nobis supersunt diluenda, responderetur fa-
cile. Ad primum dicimus, doctrinam sacram à Pa-
tribus, & Scriptura scientiam appellari ratione il-
la generali, & communi, non tamen prout distin-
gitur ab assensu principiorum. Nam Patres, &
Scriptura ipsum quoque assensum fidei, qui est as-
sensus principiorum, & responder assensui, qui di-
citur intellectus in aliis scientiis, appellant scientiam.
Neque enim usurpant vocem præse in ea
peculiari significatione, qua philosophi vsurpa-
runt ad significandum solum assensum euidētē,
& per discursum deductum; sed latiori quadam si-
gnificatione, tamen absque metaphora, secun-
dum quam etiam in Deo & Angelis dicimus esse
scientiam, cum tamen & Dei, & Angelorum noti-
tia potius respondeat intellectui principiorū, quæ
sunt euidenter per se nota, quam notitiæ conclu-
sionum, quarum solum dicitur haberi scientia, vt
aduersarij faciunt, in ea propria, & peculiari signi-
ficatione, quam diximus.

Ad rationem respondemus id, quod assertur
in ea non satis esse, vt Theologia viatorum in ipsis
sit scientia: requiritur enim etiā euidentiā, vt præ-
batum est. Qualis verò sit iste assensus Theolo-
gicæ conclusionum, sequenti disputatione
patebit.

ARTIC. II.

DISPV. V.

De qualitate assensus conclusionis
Theologiæ, & habitus
circa ipsam.

Habitu Theologiæ esse declaratiuum, non adheſiuum,
putauit Aureolus cap. 1.

Quid sentiant Okam, & nominales. c. 2.

Vera sententia cap. 3.

Respondetur argumentis Caietani. c. 4.

CAPVT I.

Habitu Theologiæ, esse declaratiuum, non
adheſiuum, putauit Aureolus.

Deinde videndum est, qualis sit hic as-
sensus conclusionis Theologiæ, & ha-
bitus inde acquisitus. In qua etiam re
variant Theologi. Prima autem senten-
tia sit Aureoli, quæ refert Okam q. illa 3. Prolog.
circa 2. assentis. habitu Theologiæ per discursum
acquistum non esse (vt ipse loquitur) adheſiuum,
sed declaratiuum: quali dicat non inclinari
intellectum per talem habitum ad eliciendum ac-
tum assentiendi, & adhaerendi vni parti contradi-
ctionis, sed solum ad actum declarandi melius, &
explicandi mysteria. Primum probatur acquiri ha-
bitum (id quod in hac sua opinione videtur sup-
ponere Aureolus) quia repetitione eorum actuum
eliciendo conclusiones ex articulis fidei, fit homo
indies magis habilis circa illas; acquirit ergo ali-
quem habitum, qui ei præstat promptitudinem.
Deinde per illum habitum non inclinari intelle-
ctum ad assensum, probat Aureolus, quia si gene-
raret assensum, vel esset scientiæ vel opinionis: nō
scientiæ, vt superiori disp. probatum manet: nec
opinionis: formidaret enim de veritate conclusio-
nis Theologiæ, qui sola opinione assentiretur;
Theologus autem formidare non potest, si tenet
fidem principiorum, & videt conclusionē euiden-
ti consequentia ex illis deduci: superest ergo vt sit
habitus declaratiuus; quia alius esse non potest.

CAPVT. II.

Quid sentiant Okam, & Nominales.

Secunda opinio est Okam loco allegato, & Ga-
brielis q. 7. prologi art. 1. notat. 2. Gregorij q. 1.
2. 4. conclus. 2. 3. & 4. Maioris q. 4. post medium.
Qui docent primum nō solum esse in Theologo
habitu, quem dicunt declaratiuum, sed etiam
per syllogismos ductos ex articulis fidei generari
assensum conclusionum, & inde acquiri habitum
adheſiuum. Deinde asserit hunc assensum, & ha-
bitum inde comparatum, nō esse scientiæ, vt præ-
dictū est, nec opinionis, nec fidei infusæ, sed fidei
acquisitæ, qui vel intenditur per discursum, vel
hōiiter etiam acquiritur, quando antea acquisi-
tus non erat. In priori parte huius sententiæ cum
prædictis auctoribus conueniunt Marfilius q. 2.
Prol. art. 2. con. 4. & Balsol. q. 5. a. 3. § dico breuiter,
vsq. in finem artic. qui dicit, esse in Theologo
habitu declarandi mysteria, & assentiendi con-
clusionibus, monere verò declarandi tunc fungi
Theologum, quando per vnum mysterium, aliud:
& per vnum locum Scripturæ alium declarat. Id
quod ipsi ecclesiastici Scriptores facere consueue-
runt. Ex hoc ergo exercitio acquirit Theologus
habitu declarandi. Ceterum habitum illum esse
se quoque ad assentiendum, recte probant contra
Aureol.

2.
Okam.
Gabriel.
Greg.
Maior.

Marfil.
Balsol.

Okam.
Marfil.
Gregor.

3.
Habitum
Theologicum
est ad huius-
modi verum
prebatur.

Assensum
Theologicum
est fidei ac-
quisita pro-
batur autem
in.

Refutatio
sententia
Okam. &
aliorum.

4.
Fides acqui-
sita, & opi-
nio habent
substantiam
nam.

Aureolum Okam, Marfilus, & Gregorius hac ratione: Quoties discursus ex assensu præmissarum ita mouet ad assensum conclusionis, ut si alia causa non adesset, ex eo solum intellectus conclusioni assentiretur, discursus est causa assentiendi conclusioni: sed Theologicus discursus est huiusmodi: nam si semel homo assentitur præmissis, siue veraque sit de fide, siue altera naturaliter evidens, si discursus, & dispositio illarum est bona, & ut talis appareat, necessario mouebitur intellectus ad assentiendum conclusioni: ergo discursus Theologicus non solum est ad declarandum, sed etiam ad assentiendum: ac proinde habitus ex illo acquisitus, non erit declaratiuus tantum, sed etiam adhærens, posterioriorem verò partem huius sententia nimirum assensum Theologicum non esse opinionis, sed fidei acquisitæ, probant hoc modo: De ratione opinionis est formido oppositæ partis, sed assensus conclusionis Theologicæ non est cum formidine, eo quod forma illationis sit evidens, & assensus præmissarum siue formidine: est enim, vel veraque de fide diuina, vel altera naturaliter evidens, & altera de fide diuina: ergo assensus conclusionis Theologicæ non est opinio. Cumque assensus sine formidine, & euidencia, si sit per rationem acquisitus, sit fidei acquisitæ, sit, ut assensus conclusionis Theologicæ sit fidei acquisitæ, & habitus eodem modo.

Sententia quidem Aureoli, quam superiori capite retulimus, sufficere refellitur ratione Okami, & aliorum, qua probant priorem partem sue opinionis: posteriori rem vero partem eius hac ratione refutare possumus. Quamuis conclusio Theologica sequatur absque formidine, ut recte probant Doctores prædictæ sententiæ, ob id tamen negari non debet, assensum illius esse assensum opinionis. Ad rationem enim opinionis non est necessaria ea expressa formido, qua quis arbitretur rem illam posse aliter se habere, ut fusi ostendam 2. 2. q. 1. a. 5. hac ergo de causa assensus Theologicus excludendus non est à ratione opinionis. Adde, quod non minus videtur esse de ratione fidei humanæ, & acquisitæ formido, quam de ratione opinionis: cum utraq; sit ex principio, cui ex se non repugnat subesse fallum. Cur ergo prædicti Doctores potius dicant, Theologicum assensum esse fidem acquisitæ, quam opinionem? Siquid fides acquisita videtur esse assensus proximè deductus ex testimonio humano, cui dicitur credere, qui ei habet fidem: opinio vero per rationem aliquam probabilem haberi dicitur: communiter tamen pro eodem usurpamus fidem, & opinionem. Quare assensus, vel ex solo testimonio humano, vel ex signis, vel ex ratione deductus fides acquisita appellari consuevit. Esse autem cum formidine, vel sine illa, parum refert, ut fides, vel opinio dicatur.

CAP. V. III.

Vera sententia.

MEa igitur sententia, assensus Theologicæ conclusionis sine formidine expressa dici potest, aut fides acquisita; aut etiam opinio: si supponamus id, quod superiori disputatione diximus, nempe conclusiones Theologicas colligi ex articulis fidei non creditis diuina fide, sed humana, & acquisita. Sic enim conclusio Theologica, vel erit fides acquisita latiori significatione, vel erit opinio: ita tamen, ut credat Theolo-

gus esse certissimam. Si verò dicamus conclusionem Theologicam deduci ex articulis creditis fide infusa, & diuina, propter testimonium primæ veritatis, sic nec esset dicenda opinio, nec fides acquisita, & humana; sed esset quoddam medium genus assensus inter fidem diuinā, & humanam, vel opinionem, differret autem à fide diuina, non quia articali crederentur siue discursu, conclusio verò Theologica per discursum, ut aliqui putant; sed quia articuli proximè ex testimonio Dei, conclusio verò Theologica ex ipsis articulis fidei per discursum colligeretur.

Ceterum pro explicatione huius sententiæ notanda est differentia inter fidem diuinam, & conclusionem Theologicam: nam fides diuina generatur quidem per discursum, ita ut primum principium, cui innitur, sit complexum illud, *Deus dicit*, quod est ratio assentiendi cuiusque articulo reuelato, & testificato. Qui enim aliquid credit, quia Deus illud dixit, ex eo, quod Deus dixit, infert id esse verum; imò & aliam propositionem videtur sub ea intelligere, scilicet Deum esse veracem, qui nec falli, nec fallere possit. Hic tamen discursus fidei non est Theologicus, quia proximè deducitur ex testimonio Dei Theologicus autem discursus, ex articulis creditis.

Sed contendunt aliqui probare assensum fidei diuinæ per discursum non generari, quia fides fertur in vnam tantam propositionem, videlicet, *Deus dicit se esse trinum, & vnum*, cui absque alio per solum lumen fidei assentimur. Sed in vna propositione non potest esse discursus, ergo assensus fidei diuinæ per discursum non comparatur. Respondetur tamen, etiam si vna illa propositione quasi modalis articulus fidei enuncietur; nihilominus sub ea contineri discursum, oportet enim assentiri huic parti, *Deus dicit*, & huic etiam, *Deus est trinus & vnus*; posteriori autem assentitur propter priorem; est ergo ibi aliquis discursus saltem enthymematicus, in quo facile intelligitur suppressa aliqua propositio; imò forsan intellectus noster semper eam exprimit, ut superius explicauimus.

Deinde notanda est doctrina Cani lib. 6. de locis cap. vi. ad 10. versic. *Sed id postremo*; & Andreæ de Vega lib. 9. super Concil. Trident. c. 39. aliquantulum à principio. Qui assentunt propositionem deductam per euidenciam consequentiam ex articulis fidei, vel ex vna de fide, & alia euidenti, esse propositionem de fide diuina, & ad illius assensum nos statim inclinari ex lumine supernaturali fidei non minus, quam ad ea, quæ Ecclesiæ de definitione determinata sunt. Quam doctrinam aliqui putant minus veram, & hac ratione refellere conantur. Conclusio semper sequitur debiliorem partem, siue in qualitate propositionum, siue etiam in certitudine; ergo cum ex vna de fide, & alia naturaliter euidenti deducitur conclusio, illa erit minus certa, quam si esset de fide, cum vero sequitur ex duabus de fide saltem illius assensus erit distinctus ab assensu fidei; eo quod hic innitur testimonio Dei, tanquam proximo principio, assensus verò conclusionis proximè deducitur ex præmissis de fide per discursum. Quare fides Catholica, quæ proximè innitur testimonio, non inclinabit ad assensum illius.

Ceterum hi Doctores non videntur prædictam sententiam Cani, & Andreæ de Vega intellexisse. Ratio verò adducta solum probat assensum conclusionis Theologicæ, quatenus inferitur ex præ-

missis de fide, vel ex altera de fide, & altera naturalis, non assensum fidei infusæ, sed aut inferiorem assensum præmissarum, aut alterius rationis. At verò Canus & Vega præter hunc assensum, qui fit per discursum, & dicitur Theologicus, contendunt esse alium proximè productum lumine fidei, qui tanquam conditionem præcedentem, postulat assensum Theologicum, etiam si hic fit minus certus, quam assensus fidei: id quod mirum non est. Nam ut ipsi optimè notant, & nos latius ostendimus 2. 2. q. 1. artic. 1. assensus fidei infusæ exigit etiam, ut conditionem assensum fidei humanæ: ut enim credatur fide infusæ aliqua propositio, quæ definita est ab Ecclesia, opus est primo credere definitam fuisse, aut in Concilio, aut à Pontifice, quod tamen sola fide humana notum est. Eodem modo prædicatori, aut proponenti articulos fidei, prius credimus fide humanæ. & hac fide supposita statim sequitur superior assensus ex lumine fidei infusæ: sic igitur docent Canus, & Vega posita evidenti consequentia ex articulis fidei, vel ex vna de fide, & alia naturali, tanquam conditione prævia, consequi assensum fidei infusæ: siquidem demonstratio Theologica perinde se habet ipsi Theologo demonstranti: sicut Concilium, cum de fide aliquid esse declarat, se habet toti Ecclesiæ. Solum est differentia, quod Concilium id, quod definit, omnibus proponit credendum ita, ut omnes credere teneantur: ratio vero Theologica illis solum proponit, quibus est evidens consequentia ex articulis fidei: & idèd propositio, quæ est contraria conclusioni Theologicæ, communiter dicitur erronea, non hæretica: quia non omnibus credenda proponitur: propositio verò Scripturæ, vel definitioni Ecclesiæ contraria, vocatur hæretica: quia illa omnibus proponitur credenda; Nihilominus qui haberet Theologicum discursum evidentem ex vna de fide, & alia naturali, vel ex utraque de fide, & non crederet conclusionem, esset hæreticus: tum quia facta prædicta suppositione tenebatur illam credere, tum etiam quia eo ipso non assentiretur alicui præmissæ, quæ est de fide.

CAPVT IV.

Respondetur argumentis contrariis.

9. **I**Am verò ex dictis facile dilui possunt argumenta primæ, & secundæ sententiæ, quatenus huic tercię opinionioni contraria sunt. Cum secunda enim convenit in eo, quod asserit assensum conclusionis Theologicæ comparari habitum adhæsiuum, & non tantum declaratiuum. Superest igitur, ut paucis explicemus circa secundum argumentum primæ sententiæ, utrum habitus Theologicus sit virtus intellectualis, sicut dicitur esse scientia, an non. Respondeo primum, si dicamus conclusionem Theologicam deduci ex articulis creditis fide infusæ, esse sine dubio virtutem intellectualem, sicut de ipsa fide infusæ dicemus 2. 2. q. 4. artic. 5. quia sicut fides infusæ ex parte, obiecti formalis, cui innititur, non potest unquam inclinare ad falsum; sic etiam habitus Theologicæ ad falsum movere non potest per consequentiam ductam ex articulis creditis fide divina: atqui ille habitus dicitur esse virtus intellectualis ab Aristotele 6. Ethic. c. 2. & 3. qui nequit ad falsum inclinare; ergo ex eius sententia fides infusæ, & Theologia erunt virtutes intellectuales: quos quidem habitus si Aristoteles cognovisset, citra controuersiam inger

Habitum Theologia esse virtutem intellectualem.

Aristotel.

ARTIC. II.

virtutes intellectuales connumerasset. Deinde respondeo, si dicamus, Theologicam conclusionem deduci ex articulis creditis fide acquisita, quam aliqui humanam appellant, videbitur forsitan alicui excludenda à ratione virtutis intellectualis, sicut excluditur ab eodem Aristotele opinio: eo quod contingit aliquando opinione dici falsum. Eadem enim ratio videtur de fide acquisita, & de assensu ex ea deducto.

Nihilominus tamen dicendum est, ex sententia quoque Aristotelis, habitum Theologicum hoc modo esse virtutem intellectualem: eo quod fides acquisita per tot miracula, & signa, vitæ sanctitate & auctoritate Ecclesiæ addo sit confirmata ut nullus intellectus iuxta regulas rectæ rationis aliud credere valeat: imo cum Ricardo de S. Victore 1. de Trinit. c. 2. ad Deum confidenter dicere possit, Si error est, à te ipso decepti sumus. Nam hæc omnia tot signis, & prodigiis confirmata videmus, quæ non nisi per te fieri possunt. Aristoteles autem ea de causa reiicit opinionem à ratione virtutis 6. Ethic. c. 3. quia fieri potest, ut aliquando opinione falsum dicatur: quare si talis est confirmatio articulorum nostræ fidei, ut nulla recta ratione credi possit ab alio, quam à Deo reuelatos esse, non est cur reiiciamus à ratione virtutis intellectualis fidem articulorum acquisitam, & Theologicum assensum inde deductum. Secus autem dicendum est de fide humana aliarum rerum, quæ posse esse falsam facile credimus. Vbi tamen tanta esset auctoritas, ut naturaliter videretur, non posse contrarium esse verum, fides humana etiā esset virtus intellectualis. Talis est, qua credimus Constantinopolim, aut Romam esse. Quis enim non videat impossibile naturaliter esse tot homines, qui de eis testificantur, ad decipiendū conuenisse.

Io.

Ricard.

Aristotel.

DISPUTATIO VI.

De subalternatione nostræ Theologiæ.

Sententia Caietani, & aliorum. cap. 1.
Vera opinio de subalternatione Theologiæ, c. 2.
Respondetur argumentis Caietani. c. 3.

CAPVT I.

Sententia Caietani, & aliorum.

QVÆSTIO hæc iuxta opinionem nostram, qua diximus in quarta disputatione Theologiam non esse scientiam, facile posset expediri; si enim scientia non est, subalternata esse nequit. Ceterum quia nonnulli, qui nobiscum conueniunt, contendunt quoddam genus subalternationis Theologiæ nostræ tribuere, controuersia esse potest, an præter defectum evidentiam, aliquid aliud desit Theologiæ nostræ, quo minus subalternata scientia sit. Prior opinio est Caietani in hoc art. & 2. 2. q. 1. a. 5. qui licet putet Theologiam nostram in nobis verè, & propriè non esse scientiam, ut disputatione 4. vidimus, affirmat tamen esse verè, & propriè subalternatam. Quam sententiam secutus fuit Egidius in 2. principali parte Prologia. 2. & videtur fuisse Capreo. q. 1. Prol. art. concl. 2. & 3. qui eam probat ex multis locis S. Thomæ, quæ meo iudicio nihil ei adstipulantur.

Caiet.

Egidius Capreo.

Duo igitur asserit Caietanus in hoc articulo. Alterum est, Theologiam nostram secundum se esse verè,

se verè,